

Prot. n. 51827/16 CA

N.

*Incardinationis*

(Exc.mus Archiepiscopus – Congregatio pro Clericis)

## SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno V, die 30 novembris 2017, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mo ac Rev.mo D.no Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao Zvolensky, Henrico Mussinghoff, et Antonio Stankiewicz, *Ponente*, atque intervenientibus, Cl.ma Martha Wegan, utpote Exc.mi Recurrentis Advocata-Procuratrice, Cl.mo Tobia Krogner-Kornalik, tamquam Patrono Congregationis pro Clericis et Rev.di X, atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

### I. Facti species

1. Rev.dus X, die 11 ianuarii 1966 in urbe Y natus, ordinatione diaconali in dioecesi Z incardinatus, deinde in presbyteratus ordine die 28 iunii 1998 constitutus est. Studiis iuris canonici in Urbe incubuit et licentiati gradum consecutus est. Expleto novitiatu in Instituto religioso Societatis W in P, die 8 septembris 2008 professionem temporariam emisit et ad domum huius Instituti intra fines Archidioecesis N. translatus est, ubi officium Vicarii paroecialis apud paroeciam M et

munus Iudicis apud Tribunal Metropolitanum ad quinquennium obtinuit.

Denegata tamen die 12 iulii 2010 admissione ad renovationem professionis temporariae, Rev.dus X regredi noluit ad dioecesim incardinationis, propterea die 22 iulii 2010 ab Exc.mo B, Vicario episcopali pro ministris servitii pastoralis, licentiam exercendi ministerium presbyterale expetivit in Archidioecesi N. ad normam can. 267, seu cum prospectu futurae incardinationis. Ad hunc finem assequendum ipse quoque, die 27 iulii 2010, a proprio Episcopo Z licentiam acceptandi officia atque incardinationem obtinendi in Archidioecesi N. postulavit, iterando instantiam suam etiam die 2 septembris 2010. Huic petitioni Exc.mus C, Episcopus Z, die 21 septembris 2010 absque ulla condicione annuit et expetitam licentiam ad quinquennium concessit.

2. Interea Exc.mus B, attenta petitione Rev.di X diei 22 iulii 2010 obtinendi incardinationem eiusque temporaria incorporatione statui vitae consecratae, in responsione diei 19 augusti 2010 ad litteras Vicarii episcopalis Z, Rev.mi D, institit, ut Curia Z relationem de vita, moribus et activitate pastoralis praedicti Sacerdotis ad normam can. 269, n. 2 transmitteret.

---

<sup>1</sup> Can. 267 § 1. Ut clericus iam incardinatus alii Ecclesiae particulari valide incardinetur, ab Episcopo dioecesano obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis; et pariter ab Episcopo dioecesano Ecclesiae particularis cui se incardinari desiderat, litteras ab eodem subscriptas incardinationis. § 2. Excardinatio ita concessa effectum non sortitur nisi incardinatione obtenta in alia Ecclesia particulari.

<sup>2</sup> Can. 269. Ad incardinationem clerici Episcopus dioecesanus ne deveniat nisi: 1° necessitas aut utilitas suae Ecclesiae particularis id exigat, et salvis praescriptis honestam sustentationem clericorum respicientibus; 2° ex legitimo documento sibi constiterit de concessa excardinatione, et habuerit praeterea ab Episcopo dioecesano excardinanti, sub secreto si

Etiam si hoc postulatum adimpletum non fuerit, Exc.mus B, die 29 octobris 2010, Rev.do X ad experimentum commisit officium «Subsidiar in der Pfarrei MM im O», deinde, post renuntiationem Sedi N. ab Em.mo Card. E, ad aliam paroeciam eum die 24 februarii 2011 transtulit.

Pariter novus Archiepiscopus N., Em.mus Card. F, munus sacerdotis auxiliaris Rev.do X die 4 maii 2012 ad tempus indeterminatum commisit, qui tamen ob gravem morbum et necessitatem se submittebat efficaciori curationi, a die 19 augusti 2013 usque ad diem 30 iunii 2014 ministerio inhabilis a medicis agnitus est. Periodo medendi morbo iam exacta, Rev.dus X die 29 augusti 2014 ad officium Vicarii paroeciae G ad tempus indeterminatum deputatus est.

3. Quoniam infirmitas Rev.di X incertam reddere potuit definitivam recognitionem eius incardinationis, attento quoque conatu ex parte Vicarii episcopalis N., Rev.mi H, remittendi eum in dioecesim Z, Adv.tus I, nomine Rev.di X, litteris diei 17 decembris 2015 a Vicario Generali N., Rev.mo J, declarationem ipso iure obtentae incardinationis ad normam can. 268 § 1 exposulavit.

At novus Archiepiscopus N., Exc.mus L, omnibus causae adiunctis perpensis,

---

opus sit, de clerici vita, moribus ac studiis opportuna testimonia; 3<sup>o</sup> clericus eidem Episcopo dioecesano scripto declaraverit se novae Ecclesiae particularis servitio velle addici ad normam iuris.

<sup>3</sup> Can. 268 § 1. Clericus qui a propria Ecclesia particulari in aliam legitime transmigraverit, huic Ecclesiae particulari, transacto quinquennio, ipso iure incardinetur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Episcopo dioecesano Ecclesiae hospitis tum Episcopo dioecesano proprio, neque horum alteruter ipsi contrariam scripto mentem intra quattuor menses a receptis litteris significaverit.

petitionem praedicti Advocati die 14 ianuarii 2016 reiecit utpote primam petitionem ad incardinationem porrectam.

Deinde Exc.mus Archiepiscopus, meritum remonstrationis<sup>4</sup> ab Adv.to I die 18 ianuarii 2016 propositae non ingrediens propter non impetratam ab eo approbationem ad exercendum patrocinium in foro dioecesano (cfr. can. 1483), die 21 ianuarii 2016 Rev.dum X invitavit ut alium advocatum ex Albo Curiae N. seligeret. Insequenti autem die Exc.mus Praesul Rev.dum X ab officio sacerdotis auxiliaris removit et sustentationis a die 1 februarii 2016 cessationem decrevit.

4. In hisce rerum adiunctis Adv.tus I, nomine Rev.di X, recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis die 3 februarii 2016 interposuit, rationibus firmatum, quo efflagitavit ut Archidioecesis N. iuberetur «incardinationem Rev.di X ex ipso iuris praescripto factam approbare atque ordinario modo publicare».

Congregatio autem pro Clericis, peractis ad normam can. 1739 peragendis, die 12 aprilis 2016 incardinationem ipso iure adeptam a Rev.do X agnovit, quatenus requisita can. 268 § 1 adimpleta essent et ipse Recurrens Archidioecesi N.

---

<sup>4</sup> Recurso, revocación (*r. episcoporum*: petición de los obispos para la no aplicación de la ley papal en su territorio; [*nullam interposuit remonstrationem vel recursum*: no interpuso ninguna apelación o recurso; *Exc.mus Archiepiscopus illam remonstrationem reiecit*: el Arzobispo rechazó el recurso]). Este término, no usado en el código, pero frecuente en la jurisprudencia de la Signatura alude al recurso para pedir la revocación o enmienda de un decreto administrativo del tipo del can. 1734.

<sup>5</sup> Can. 1739. Superiori, qui de recursu videt, licet, prout casus ferat, non solum decretum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, vel si id Superiori magis expedire videatur, emendare, subrogare, ei obrogare.

iure adscriptus esset. Aditum Dicasterium reiecit tamen petitionem de expensis processualibus ab Archidioecesi N. solvendis, incluso Advocati honorario.

Sed Exc.mus Archiepiscopus N., praehabito voto Pontificii Consilii de Legum Textibus, die 7 iunii 2016 recursum ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae interposuit adversus decretum Congregationis pro Clericis die 12 aprilis 2016 prolatum.

5. Apud hoc Supremum Tribunal, discussione inter Cl.mam Patronam Exc.mi Recurrentis, Cl.mum Patronum Congregationis et Rev.dum Promotorem Iustitiae Substitutum rite peracta, Em.mus Praefectus recursum in Congressu diei 16 decembris 2016 ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus admisit.

Deinde in sessione die 20 ianuarii 2017 coram Exc.mo Secretario H.S.T. habita, dubium concordatum est hac sub formula: *An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 12 aprilis 2016 latum.*

Instante Cl.mo partis resistentis Patrono, supplementum instructorium per documentorum acquisitionem peractum est.

Sessione in diem 30 novembris 2017 indicta atque Em.morum et Exc.morum Iudicum nominibus cum partibus

---

<sup>6</sup> Can. 268 § 1. Clericus qui a propria Ecclesia particulari in aliam legitime transmigraverit, huic Ecclesiae particulari, transacto quinquennio, ipso iure incardinatur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Episcopo dioecetano Ecclesiae hospitis tum Episcopo dioecetano proprio, neque horum alteruter ipsi contrariam scripto mentem intra quattuor menses a receptis litteris significaverit.

communicatis, litterae ad Em.mum H.S.T. Praefectum inopinate die 28 novembris 2017 pervenerunt, quibus unus ex Iudicibus convocatis, Em.mus ac Rev.mus D.nus Petrus Card. Erdö, declaravit, se sessioni interesse non posse. Ne causae conclusio adhuc procrastinaretur, a SS.mo impetrata et die 29 novembris 2017 concessa est facultas in casu per Collegium quattuor Iudicibus constans iudicandi (cfr. litterae Rev.mi Assessoris Secretariae Status diei 29 novembris 2017, prot. n. 383.028).

Demum, receptis et perpensis scriptis defensionibus a Cl.mis partium Patronis exhibitis et voto pro rei veritate Rev.di Promotoris Iustitiae Substituti, nunc Nobis praefato dubio respondendum est.

## II. In iure et in facto

6. In limine huius processus de assera violatione legis *in procedendo*, Cl.ma Exc.mi Recurrentis Patrona praeiudicalem proposuit quaestionem de nullitate impugnati decreti Congregationis pro Clericis diei 12 aprilis 2016 propter defectum legitimi mandati procuratorii ex parte Adv.ti I, scilicet vi analogiae cum praescripto can. 1620, n. 6, insanabilem nullitatem sententiae iudicialis hoc ex capite inferente.

---

<sup>7</sup> Can. 1620. Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, si: 1° lata est a iudice absolute incompetenti; 2° lata est ab eo, qui careat potestate iudicandi in tribunali in quo causa definita est; 3° iudex vi vel metu gravi coactus sententiam tulit; 4° iudicium factum est sine iudiciali petitione, de qua in can. 1501, vel non institutum fuit adversus aliquam partem conventam; 5° lata est inter partes, quarum altera saltem non habeat personam standi in iudicio; 6° nomine alterius quis egit sine legitimo mandato; 7° ius defensionis alterutri parti denegatum fuit; 8° controversia ne ex parte quidem definita est.

Enimvero iuxta assertionem eiusdem Cl.mae Patronae Adv.tus I valido mandato procuratorio caruit sive in remonstrazione die 18 ianuarii 2016 proposita adversus decisionem Exc.mi Archiepiscopi N. sive in recursu hierarchico ad Congregationem pro Clericis die 3 februarii 2016 interposito.

Propter hanc quoque rationem Cl.ma Patrona arguit nullitatis totum procedendi modum hac in causa servatum atque instat ut ipsemet Rev.dus X per se ipsum vel per Advocatum Albo Curiae N. inscriptum, novam remonstracionem coram Exc.mo Archiepiscopo N. proponat, et, in casu reiectionis, novum recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis deferat.

Quin immo, iudicio eiusdem Cl.mae Patronae, Congregatio pro Clericis erronee acceptavit exercitium procuracionis et patrocinii ex parte Adv.ti I, quippe qui id temporis nec Albo Advocatorum apud Romanam Curiam neque illo apud Curiam N. inscriptus esset.

7. In adhibenda tamen hac in causa per analogiam lege irritante, meminisse iuvat «applicationem analogicam alicuius legis determinatae propter paritatem rationis in praxi difficillimam esse et non raro incertam, quia saepe saepius ratio vera alicuius legis determinatae obscura et multiplex est, ac proinde determinari nequit cum certitudine morali utrum necne, relate ad casum de quo agitur, ratio similis verificatur» (G. MICHIELS, *Normae generales juris canonici*, vol. I, Parisiis-Tornaci-Romae 1949, 607).

Propter hoc ipsum, igitur, «la nullità di un atto amministrativo per difetto di procedura sarà pertanto sancita soltanto da quelle disposizioni che es-

pressamente la prevedono (cfr. can. 10)». Secus enim locum habet «un uso errato dell'analogia o dei principi generali del diritto voler esigere in tutti i procedimenti amministrativi, senza distinzione, l'applicazione di norme previste solo per determinate ipotesi» (J. MIRAS – J. CANOSA – E. BAURA, *Compendio di diritto amministrativo canonico*, Roma 2009, 176).

At propugnata hac in causa nullitas remonstrationis, recursus et impugnati decreti Congregationis pro Clericis haud innititur vitio mandati procuratorii Adv.ti I propter non impetratam ab eo approbationem ad exercendum munus procuratoris. Nam procedendi ratio in recursibus administrativis agnoscit quidem parti recurrenti ius adhibendi semper advocatum vel procuratorem (cfr. can. 1738).

8. In hac enim quaestione, sicut iam superius dictum est (cfr. n. 3), Adv.tus I vi mandati patrocini et procurationis diei 8 decembris 2015, scilicet «mit beigefügter Vollmacht als Anwalt und Prozessvertreter» a Rev.mo Vicario Generali N. die 17 decembris 2015 postulavit declarationem acquisitae ipso iure a Rev.do X incardinationis Archidioecesi N.

Sed tamen ad petendam declarationem adeptae ipso iure incardinationis, vel ad proponendam remonstrationem et insequentem recursum hierarchicum non requiritur mandatum patrocini seu defensionis collatum адвокату approba-

---

<sup>8</sup> Can. 1738. Recurrens semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrens patrono careat et Superior id necessarium censeat; semper tamen potest Superior iubere ut recurrens ipse compareat ut interrogetur.



to ab Episcopo, sed sufficit mandatum procuratorium collatum.

9. Quomocumque autem Exc.mus Archiepiscopus N. remonstrationem ab Adv.to I die 18 ianuarii 2016 propositam propter non impetratam ab eo approbationem dimisit atque Rev.dum X invitavit, die 21 ianuarii 2016, ad seligendum sibi alium advocatum ex Albo apud Curiam Ordinariatus N.: talis agendi modus Exc.mi Praesulis validitatem mandati procuratorii praedicto Advocato collati inficere non potuit. Quapropter vigore huius mandati Adv.tus I recursum hierarchicum adversus decretum Exc.mi Archiepiscopi N. diei 14 ianuarii 2016 ad Congregationem pro Clericis die 3 februarii 2016 legitime interposuit.

Itemque Congregatio pro Clericis, proprium agendi modum secuta, Adv.tum I non solum tamquam procuratorem, sed etiam tamquam advocatum Rev.di X admisit, licet Albo Advocatorum apud Romanam Curiam inscriptus non fuerit. In *Ordinationibus* enim praefatae Congregationis deest norma prohibitoria adhibendi alios quoque Advocatos, praeter illos Romanae Curiae, in pertractandis recursibus hierarchicis ab ea receptis (cfr. art. 19 § 1 Const. Ap. *Pastor bonus*).

Ceterum, secundum iurisprudentiae H.S.T. dictamina Auctoritas superior in causis ad eam delatis etiam ex officio agere potest, prorsus praetermissa quaestione de legitima recursus propositione (cfr. sententia coram Grochowski, 28 aprilis 2007, n. 8; sententia coram Stankiewicz, 22 octobris 2014, n. 7).

10. Quod autem spectat ad assertam *legis in decernendo* violationem, Cl.ma Exc.mi Recurrentis Patrona, pra-

escripto can. 268 § 1 innixa, merito in lucem profert iure statutam exigentiam proponendi scriptam petitionem incardinationis solummodo Episcopo dioecetano, non autem Vicario generali vel episcopali, qui de clericorum incardinatione sine mandato speciali valide agere nequeunt (cfr. can. 134 § 3). Pariter scripto faciendae sunt omnes postulationes et decisiones de denegata vel concessa aut declarata incardinatione.

In actis autem huius causae duae petitiones exstant incardinationem Rev. di X respicientes, quarum prior diei 22 iulii 2010 inscripta ad Exc. mum B, Vicarium episcopalem pro ministris in servitio pastorali, qui ideo nominare potuit sacerdotes subsidiarios inter quos etiam Rev. dum X die 29 octobris 2010 elegit, altera autem diei 17 decembris 2015 ad Rev. mum J, Vicarium generalem N. Neutra igitur ex duabus petitionibus ad normam can. 268 § 1 ad ipsum Archiepiscopum N. inscripta erat.

Ex actis autem non constat de speciali mandato tunc concesso Vicario generali et Vicario episcopali in Archidioecesi N. ad pertractandas petitiones incardinationis clericorum ad normam iuris vigentis, prout impugnatum decretum Congregationis pro Clericis expresse testatur.

11. Sed in quaestione auctoritatem competentem respiciente ad quam petitio incardinationis mitti debet, Rev. dus

---

<sup>9</sup> Can. 268 § 1. Clericus qui a propria Ecclesia particulari in aliam legitime transmigraverit, huic Ecclesiae particulari, transacto quinquennio, ipso iure incardinetur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Episcopo dioecetano Ecclesiae hospitis tum Episcopo dioecetano proprio, neque horum alteruter ipsi contrariam scripto mentem intra quattuor menses a receptis litteris significaverit.

Promotor Iustitiae Substitutus ad rem animadvertit Congregationem pro Clericis hac in re mutationem legis post satis cognitam sententiam H.S.T. anni 1978 (coram Felici, 20 maii 1978) prae-teriiisse.

Iamvero, voluntas obtinendi incardinationem ad normam can. 268 § 1, in scriptis manifestari debet «Episcopo dioecetano Ecclesiae hospitis», dum autem «Ordinario dioecesis hospitis» statuebant *Normae* m.p. *Ecclesiae Sanctae* Beati Pauli VI diei 6 augusti 1966 (I, 3, § 5), includendo etiam Vicarium generalem (cfr. can. 198 § 1 Codicis anno 1917 promulgati).

Ob hanc igitur rationem sustineri nequit asseveratio in impugnato decreto Congregationis pro Clericis inclusa iuxta quam «Es ist auch nicht entscheidend, dass der Antrag vom 22. Juli 2010 an den Leiter des Dezernates I (Personal) des Erzbischöflichen Ordinariates N. und nicht an den Erzbischof geschickt worden ist», tamquam si sufficeret dumtaxat «seine Kenntnisnahme, die bewiesen ist, wenn dieser in konkludenter Weise handelt».

Attenta enim exigentia scriptae petitionis ex parte clerici, directae ad Episcopum dioecetatum Ecclesiae hospitis, de qua in can. 268 § 1, excluduntur hac in re petitiones et responsiones orales concludentes inter Praesules dioecesium *a qua* et *ad quam*, de percepta tantum ab aliis notitia expetitae incardinationis.

Attento praesertim quod silentium seu inertia utriusque Episcopi per quatuor menses protracta ex se ipsa ad normam can. 268 § 1 tam gravem effectum parit incardinationis, petitio scripta eiusdem incardinationis necessario ipsis

Episcopis dioecesanis competentibus inscribenda est.

Episcopi tamen competentes, qui negative vel affirmative intra quattuor menses scripto reapse respondent, ad normam can. 268 § 1 rite agunt, quacumque inscriptione petito praedita fuerit.

12. Prout iam superius relatam est, ex actis huius causae constat Rev.dum X iam die 22 iulii 2010, seu in exordio commorationis suae in Archidioecesi N., voluntatem suam impetrandi incardinationem ordinariam in praedicta Archidioecesi ad normam can. 267 in scriptis patefecisse Exc.mo B, Vicario episcopali, non autem Em.mo E, Archiepiscopo tunc N.

Quoad hanc priorem petitionem, quaestio insuper ponitur –subordinate quidem (cfr. *supra* n. 11)– iam ample disceptata in doctrina canonica, utrum, necne, petito incardinationis, de qua in can. 268 § 1, pariter initio quinquennii proponi possit a presbytero tum Episcopo dioecesano Ecclesiae hospitis, tum Episcopo dioecesano proprio. Sunt enim qui praefatae quaestioni affirmative respondeant, alii negative, alii autem quinquennium iam exactum exigant.

Doctrina tamen praevalens et sanior, id est rationi legis apprime congrua, tenet clericum, qui incardinationem sibi agnoscendam ad normam can. 268 § 1 quaerit, talem voluntatem in scriptis manifestare debet tum Episcopo dioecesano Ecclesiae hospitis tum Episcopo dioecesano proprio sive exacto quinquennio, dummodo tamen legitima transmigratio perduret, sive «dum

decurrit quinquennium», ea tamen mente ut quadrimestre de quo in can. 268 § 1 cum quinquennio vel post quinquennium expiret.

Ad acquirendam enim hanc incardinationem requiritur non solum «ut quinquennium commorationis legitimae in dioecesi hospite transactum sit», id est de consensu utriusque Episcopi dioecesani peractae, verum etiam «ut contrariam mentem alteruter» eorundem Praesulum «intra quadrimestre a petitione facta et elapso quinquennio, scripto non manifestaverit» (sententia coram Felici, 20 maii 1978, in *Communicationes* 10 [1978] 154-155, nn. 1, 3, 4).

At nihil impedit, «quominus clerici alicuius dioecesis in alienae dioecesis territorio apostolice laborent», scilicet de consensu sui Episcopi dioecesani et Episcopi dioecesis hospitis, «quin ulla excardinatio et nova incardinatio sequatur» (*ibid.*, 154).

13. Infitiandum non est, quin Rev.dus X, utpote religiosus a votis temporariis Societatis W, aestate anni 2009 ad Archidioecesim N. legitime pervenerit ac dein, cessata die 7 septembris 2010 temporaria eius incorporatione praefatae Societati, ipsemet de novo a die 15 septembris 2010 tamquam sacerdos Dioecesis Z cum consensu sui Episcopi usque ad amotionem ab officio sacerdotis auxiliaris diei 22 iulii 2016 ultra quinquennium legitime in Archidioecesi N. commoraverit. Quapropter extra omne dubium manet legitimitas eius permanentiae et officiorum acceptationis in praedicta Archidioecesi, de qua iam superius dictum est (cfr. n. 2).

Utrumque hoc in casu non agitur de transmigratione temporanea Rev.di X in regionem gravi inopia sacerdotum laborantem (cfr. can. 271), aderat tamen Exc.mi Episcopi Z consensus scripto datus et Exc.mi Vicarii episcopalis N. pro ministris in servitio pastoralis, ut officia pastoralia et illud iudiciale explere posset.

Attamen, sicut superius indicatum est (cfr. n. 12), ad obtinendam novam incardinationem requiritur non solum transactum tempus quinquennii legitima commorationis formalis et materialis, sed etiam tacitus consensus utriusque Praesulis, insitus defectui scriptae manifestationis eorum mentis contrariae novae incardinationi, per quattuor menses duraturos a recepta incardinationis petitione.

Sed hac in causa Exc.mus Archiepiscopus N., intra quattuor menses a petitionis diei 17 decembris 2015 exhibitione, die scilicet 14 ianuarii 2016 eam reiecit ad normam can. 268 § 1 utpote priorem petitionem declarationis incardinationis, velut si acquisitae ipso iure a Rev.do X, nulla ratione habita de petitione anno 2010 praepropere proposita.

### III. Conclusio

Omnibus in iure et in facto aequè rimatis, infrascripti Patres, Christi Nominè invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque facto respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 12 aprilis 2016 latum.

Restituatur cautio pro expensis iudicialibus ab Exc.mo Recurrente in arca H.S.T. deposita. Ipse suae Cl.mae Patronae atque Congregatio pro Clericis et Rev.dus X suo Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 30 novembris 2017.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

+ Stanislaus ZVOLENSKY  
+ Henricus MUSSINGHOFF  
+ Antonius STANKIEWICZ, *Ponens*

Et notificetur

Die 26 aprilis 2018

+ Iosephus SCIACCA  
*Secretarius*

Marius LEITE DE OLIVEIRA  
*vices Praepositi Cancellariae gerens*